



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 395. Usque Ad Annum 428

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117794

§. 17. Epistola Bonifacii Papæ ad Episcopos Galliæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66042](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66042)

ti tuæ quidquam triste accideret, omnes
 sciant, abstinendum ab omni ambitione, & Sæculum V.
A.C. 419.
 si duo contra Canones fuerint ordinati,
 neuter Episcopus sit, sed ille demum, qui
 nova Electione, & omnium consensu fuerit
 cooptatus.

§. XVII.

*Epistola Bonifacii Papæ ad Episcopos
 Gallicæ.*

Bonifacius Papa haud ita pridem, nempe
 decima tertia Junii an. 419. ad Episco- epist. 2.
 pos Gallicæ scripserat. Epistola ad Patro-
 clum, Remigium, Maximum, Severum,
 decem alios, quorum nomina ponuntur,
 & generatim ad Galliarum, & septem Pro-
 vinciarum Episcopos directæ est. Maxi-
 mus, Episcopus Valentia, multorum cri-
 minum, atque etiam, quod Manichæus
 esset, accusabatur; hæc ex actis Synoda-
 libus probabantur. Ex actis quoque Ju-
 dicum Sæcularium monstrabatur, quod
 contra eundem coram ipsis actio fuisset
 mota, in causa homicidii, imo quod &
 quæstionem subiisset. (*) Nihilominus
 ubique Episcopum se jactabat, in illis lo-
 cis, ubi latitabat, & Confratrum suorum
 judicium fugiebat, quamvis SS. Pontifi-
 ces sæpius jussissent, ut eorum judicio
 E e e 5 ftaret.

(*) Anonymus I. bene conjicit, id factum,
 antequam in Episcopum fuisset ordinatus.

Sæculum V. A.C. 419. stare. Hinc Ecclesiæ Valentianæ Clerici querelam ad Bonifacium Papam detulerunt; Episcopi quoque Galliæ libellus miserunt.

Etiam si ob solam contumaciam jam tunc oportuisset Maximum condemnare, placuit tamen Papæ moram concedere, & præcepit, ut ab Episcopis Galliarum, in Concilio ante primam Novembris congregatis, judicaretur, atque seu in præsentem, seu in absentem sententia pronuntiaretur, nulla amplius concessa dilatione, hac tamen conditione, ut sententia lata auctoritate Papæ confirmaretur. Subjungit Papa: *litteras mittimus per omnes Provincias, ne se ignorantia causa excusare possit, & postquam ea, quæ decreveritis, ad nos relata fuerint, necessario nostra auctoritate confirmanda erunt.* (*) Sunt, qui credant, Clericos Valentianos ideo hanc causam directe ad SS. Pontificem detulisse, quod in Provincia Viennensi super jura Metropolitæ, quæ Patroclus Arelatensis sibi competere dicebat, lis existeret.

§. XVIII.

Liber II. de Nuptiis, & Concupiscentia.

Aug. ad Bonif. l. I. c. I. n. 3. Non nulli Pelagiani Romæ versabantur; hos ut in errore confirmaret, & plures

(*) Quia ab initio ad S. Sedem recurrerant.